



Act. 15.

Inhalt:

1. De aequitate naturali. (1754.)
2. Vis it facultas clavulæ codicillaris testamento destituta. (1767.)
3. Variae iuris civilis observationes. (1767.)
4. De privilegiis cursus publici recte estimandis. (1768.)
5. De modo paenarum. (1768.)
6. De nobilium iure negatiandi. (1768.)
7. De finibus potestatis ecclesiasticae regundis. (1768.)
8. Observationes iuris civilis. (1768.)
9. Miscella argumenta iuris civilis. (1768.)
10. De successorio edicto. (1769.)
11. De conjunctione loci et suffragii in comitiis provincialibus
cum dominio praeditorum nobilium. (1769.)
12. De obligatione rusticorum ad operas per praescriptionem
acquirenda (ae) vel tollenda. (1769.)
13. De foro militari in Saxonia. (1769.)
14. De sectione cadaveris occisi. (1769.)
15. De criminis stellionatar. (1770.)
16. De origine et natura communis Saxonum manus. (1770.)
17. De argumento librorum Cic. de officiis, et ad Bellum noct. ott. I. 13 (1771)
18. Quaestiones forenses. (1772.)
19. De pignoribus tacite contractis. (1772.)
20. Ad emendas origines juris publici Germanici. (1773.)
21. De iure conferendi dignitates in imperio Rom. Germ. (1773.)
22. De differentia judicum et magistratuum juris dicundi
apud Germanos. (1774.)

(v.)

23. De alimentis videlicet indotatae ex feuds debitis. (1774.)
24. Archimarechallus imperii aeneatorum patronus et iudex. (1775.)
25. Quibus modis nobilitas amittatur. (1776.)
26. De supra rei iudicioriae in imperio potestate. (1777.)
27. De vi legum et decretorum in territorio alieno. (1777.)
28. De arbitris honorariis ad historiam iuris civilis illius. (1777.)
29. De sententia novellae constitut. I. (1777.)
30. De abolitione veteri et hodierna. (1778.)
31. Lubricium caritatum imperatori praebendum equi-
tori imperii immediatos a servito feudaliter suis dominis
praestando, nisi alia maior causa accedat, non liberare.
1779.
32. De banno contumaciae. (1781.)
33. De coloniis mercatorum in Germania et praecipue
34. Quaestiones forenses. II. (1783.) in Saxonia. 1781.
35. Bernhardus ottonianus, dux Laxoniae, variis genereis
observationibus illustratus. (1783.)
36. Notata de comitibus Palatinis Saxoniae. (1785.)



VIS ET FACVLTAS
CLAVSVLAE CODICILLARIS
TESTAMENTO DESTITVTO

S C R I P S I T

E T

ILL. I. CTORVM ORDINIS INDVLTV

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
C O D. ANTECESSOR. ORDINAR. SVBSTIT
COLLEGIO I. CTORVM ADSCRIPTO

I P S. C A L. MAIIS A N. C I C I D O C C L X V I I

D E F E N D E T

CHRIST. FRIDERICVS KREZSCHMAR

D R E S D E N S I S

L I P S I A E

LITTERIS VIDVAB LANGENHEMIAE

ALIS ET TAGAELAS
CLAVASAEVE COPICHIENSIS
TETRAGRAMMATON

IOH. THEODORUS BERGER

CHRISTIANEICAS LECTERHINAR

LIPSIAE

F. TETTERUS ET HENRY

INCLVTAE CIVITATIS DRESDENSIS
AMPLISSIMO SENATVI

VIRI AMPLISSIMI
IVRIVM CONSULTISSIMI, EXCELLENTISSIMI,
DOCTISSIMI, PRUDENTISSIMI
PATRONI ET FAVTORES
OMNI, QVA PAR EST, PIETATE DEVENERANDI

Quas non tantum communes cum omnibus urbis patriae ciubus, sed proprias et singulares habeo et ORDINEM VESTRVM colendi, et VESTRAM omnium ac singulorum sapientiam virtutemque suspiciendi causas, et si commemorare non audeo, cum illae palam notissimae sint, hae, quia me imprimis respiciunt, tot tantorumque meritorum VESTRORVM publice illustrium gloriam non multum videntur amplificare posse, ipsae tamen mouerunt me atque impulerunt ad reuerentiam animi mei, atque antiquam erga VOS omnes ac singulos pietatem publico aliquo monumento testificandam. Quod cum meliori quidem modo efficere per ingenii mei viriumque tenuitatem nequieverim,

ANTRIDERICIA LIBERSCHEWAL

date

date veniam, PATRES, ut libellum indoctum atque incom-
tum AMPLISSIMO VESTRO ORDINI sacrum esse
iubeam, illumque nouum clientem cum veteri memet ipso in per-
petua VESTRA tutela deponam. Quamvis vero nihil ab vira-
que clientela aut laudi VESTRAE aut felicitati accedit, tamen
et VOS, qui nihil magis cupitis, quam alias feliciores reddere, nec
hominem nec libellum patrocinio VESTRO designaturos esse
confido, et ego eo ornatus, quaecunque a me scripta publicaeque
disputationi exposita sunt, defendam tanto alacrius, quanto laetior
et solemnior mihi dies cum aduersariis constituta est, quo annorum
VESTRORVM magistratum initia more maiorum capietis.
Quae ut et VOBIS fausta sint, PATRES AMPLISSIMI,
et toti patriae ciuitati felicia, haec vero etiam in posterum cura et
salute VESTRA diutissime recreetur, Deum optimum maxi-
mum precor obtestorque

AMPLISSIMI VESTRI ORDINIS

Lipiae

III. Cal. Maias

1844

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

CHR. FRIDERICVS KREZSCHMAR.



Testamentum est, ut cum Modestino loquar, voluntatis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit: seu declaratio voluntatis nostrae de successione futura in bona nostra post mortem, directam heredis institutionem continens. Quam voluntatem diuersa ratione ita declarare possumus, ut post mortem nostram fiat, quod fieri debere viui desiderabamus. Sed non raro accedit, ut suprema hominum dispositio vim legis habere nequeat. Quo modo autem infirmari possit ultima mortalium voluntas, ICti Romani accuratissime docuere, quippe qui in arte iuris elaboranda admodum solliciti singula infirmorum testatorum genera diuersis appellationibus distinxerunt. Itaque nullum testamentum vocant, quod ab initio non subsistit, vel quia deest heredis institutio, vel quia heres non idoneus sine conditione scriptus, vel quia ipse testator facultate testandi destituitur; nam si quis testatur de rebus, de quibus testari non potest, cuiusmodi sunt res sacrae aliae ve commercio humano exemptae, non totum testamentum nullum est, sed id tantum eius caput legatumue, quod illicitam dispositionem complectitur, pro non scripto habetur. Iniustum dicunt testamentum, in quo solennitates omissae sunt externae; si vero is, qui testatus fuit vel testamentum



mentum suum reuocat, vel prorsus delet, vel posterius perfectum condit, vel ipsi post testamentum suis heres nec institutus nec exheredatus vel vere vel quasi agnascitur, rumpitur testamentum.

Quod si imperfectum posterius faciat, prius non infirmatur §. 7.
I. quibus modis testamenta, nisi uno casu quem *l. 21. §. pen. C. de testam.* definiuit. Inofficiose testatur qui eos, quibus debetur legitima, sine causa vel exhereditat vel praeterit. Irritum nuncupant, quum testator condito testamento capitis diminutionem quamcunque passus est §. 4. *I. de inofficiose testamento.*

§. II.

Sed heres ipse infirmitatem testamenti alias per se validi aut voluntate aut impotenti sua efficere valet, id quod exemplum destituti testamenti probat. *Quippe quandiu potest ex testamento adiri hereditas, ab intestato non defertur l. 39. π. de acqu. vel omitt. hered.* Si autem quis aut noluerit heres esse aut vino testatore aut post mortem eius ante, quam hereditatem adiret, decesserit, aut conditione, sub qua heres institutus est, defecitus sit, aliae de causa capere hereditatem non possit, nisi coheredem habet, aut intra tempus deliberationis decesserit, quo casu reliquum eius temporis spatium nouo iure etiam hereditibus eius proficit, *in illis quidem casibus paterfamilias intestatus moritur. §. 2. I. quibus modis testamenta etc.* et hereditatem ad legitimos successores peruenire constat ex *l. 9. §. 2. π. de lib. et postb. hered. instit.* Sic certi et indubitati iuris est, tale testamentum, in quo id, quod caput et fundamentum testamentorum est, exitum habere nequit, corruere una cum iis, quae relicta sunt in eo legatis: Deest enim is, qui ex dispositione defuncti voluntatem eius implere teneatur. *Quid autem tabulae testamenti ad heredes ab intestato, qui ex lege, non ex supremo defuncti iudicio succedunt herede testamentario deficiente?* Itaque testamentum destitutum, quod unusquisque vel me tacente intelligit, ita est natura comparatum, ut necessitatem legata ex eo praestandi afferere non modo iniquum videatur, sed expressis etiam legibus contrarium.

Non

1800.10.10

Non male legata testamenti accessoria dixeris; quid autem naturalius, quam accessiones sequi fatum rei principalis.

§. III.

Etenim legatum est rei singularis ex vniuersitate hereditaria exemptione, seu donatio quaedam a defuncto reliqua ab herede praestanda §. 1. I. de legatis. Si quis igitur herede instituto aliqui legatum relinquit, is autem heres non est, qui iussus erat id exsolvere, heres ab intestato succedens ad id praestandum cogi non potest. Nempe destitutum est testamentum, adeoque omnia eius et singula capita intererant, et ipsum amplius non adest civiliter, quamquam tabulae, vel chartae vel membranae supersunt. Sane is egregie contra ius videtur peccare, qui ex eiusmodi testamento, quod heredem institutum modo et eos, quibus aliquid ex hereditate reliquum est, respicit, obligationem heredibus ab intestato venturis imponere velit: Nulla enim lex hoc vinculo eos adstrinxit, qua deficiente nequeunt ad relictorum praestationem adigi. Id quod etiam maiori iure de fideicommissis affirmari debet. Fideicommissum praestat vel heres vel legatarius praestare rogatus: sed testamento destituto si heres, vel legatarius non existit, quis est igitur, cuius fides adstricta sit et qui eam liberare debeat? Praestat qui rogatus fuit, suntne in hoc casu heredes ab intestato succedentes rogati? Quas preces tamen expressis verbis desiderat I. 29. C. de fideicommissis, cuius sanctione ex testamento, quod iure non valeret, ne fidei commissum quidem, si non ab intestato quoque succedentes rogati probentur, peti potest. Testator autem in testamento condendo heredem institutum, et eos, quibus quid reliquit, respicit, neutiquam heredum ab intestato mentionem facit, ne dum rogat, ut legata et fideicomissa exsoluant, ad quae praestanda heredem testamentarium tantum obligauerat. Quis igitur voluntatem testatoris ad heredes legitimos pertinere, precesque ad eos directas esse intelligat, nisi eam conjecturam alia et ab ipso testamento diuersa oratio testatoris confirmet.

§. IV.

S. IV. in omni estatim clam novi

Enimuero, quod testamento non potuit efficere testator, condicis in eum euentum, si testamentum destituatur, codicillis obtinere posse videtur. Codicillorum originem hic referre supervacaneum foret, cum tot tantique viri satis superque eam tradiderint. Scriptis de ea E M A N V E L D V N I V S in commentario de veteri ac novo iure codicillorum Romae 1752. quaternis publicato. Nuper etiam V. G. I. O. H. V A N H A R N doctissima dissertatione de codicillis Ultraiecti Ao. 1761. habita. Praeter quos de eorum origine et progressu I U S T U S H E N N I N G I U S B O E H M E R V S in dissertatione notissima de codicillis sine testibus validis erudit expositus. Ne quid de primariis historiae codicillorum scriptoribus dicam, quos F R I N. W I D E B V R G I V M de fideicommiss. et codicillorum origine diff. Halensi ao. 1731. habita, et G A S S E R V M diff. de origine codicillorum et fideicommissorum argumento inclinantis reipublicae, esse, vel dupondii non ignorant. Est autem codicillus voluntas de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, qua directa heredis institutio non continetur l. 10. II. de iure Codicill. in eoque confiendo pauciores solennitates quam in testamento sunt necessariae. Sed et codicilli dividuntur in scriptos et nuncupatiuos l. fin. §. 3. in fine C. de iure Codic. Sunt et alii ab intestato, si nullum testamentum extat, verum heres ab intestato succedens id, quod defunctus codicillo disposuit, facere tenetur. §. II. I. de codicillis l. 16. II. eod. tit. alii cum testamento sive a testato conditi, qui vim suam ex testamento sumunt et cum eo tanquam eius accessoriuum vel constant vel corruunt d. l. 16. Codicillorum autem locum tenet clausula codicillaris nempe dispositio testatoris ut, si testamentum non valeat ut testamentum, iure codicillorum subsistat l. 3. II. de testamento militis, sive ut continetur l. 29. §. 1. D. qui testamenta fac. τέλον τὸ διάθημα βελοποιῶν καὶ πάσης ἐξστατικῆς, hoc testamentum volo esse ratum quacunque ratione poterit. Quam vulgo recepta formula ita exprimit: Woferne dieser mein letzter Wille nicht als gült-

glerisches Testament angesehen werden könnte, so will ich doch
 daß er als ein Codicill, Fideicommissum, Vermächtniß, Schenkung un-
 ter den Lebendigen oder auf den Sterbefall, oder auf diejenige
 Weise geste, wie er zu Recht am beständigsten seyn mag. Sed
 fideicommissi et legati verba superuacua sunt. Nam id, quod
 iis effici debet, si testamentum valet ut codicillus, per se effici-
 tur. Et plerumque actum foret cum iis, quibus aliquid relictum
 est, si vi testamenti soluta tanquam mortis causa vel inter viuos do-
 natum id capere vellent. Quo quidem modo persuasum habeo
 rarissime aliquid ad eos esse peruenturum: acceptatio enim et
 praesentia donatarii est necessaria, et tamen absentibus et igno-
 rantibus ut plurimum legata relinquuntur. Ast, nisi fallor, aut ii,
 qui donationem mortis causa vel inter viuos huic formulae co-
 dicillari immiscent, quod scribunt, haud intelligunt, aut confue-
 tudinem, quam mala iuris intelligentia introduxit, sua opéra corri-
 gere nolunt. Sed ad rem. Tota formula codicillaris cui inuen-
 ta sit quisque facili negotio perspicit. Nemo enim ignorat, quam
 fuerit apud veteres scrupulosa iuris obseruatio in testamentis con-
 dendis, quoque studio perpendi oportuerit rationem supremi iudicii.
 Quam ob rem, ne facile prorsus conciderent defunctorum vo-
 luntates, iuris periti in consilium adhibiti omnibus modis curau-
 runt, ut tabulae, nisi omnino, tamen ex aliqua parte valerent.
 Itaque inuentis codicillis ab intestato, ratisque iure publico habi-
 tis, quoniam nota illorum ratio non distabat a testamenti cau-
 sa, nisi institutionis, et verborum solennitate, modum excogita-
 runt, quo testamenta ipsa in codicillos transformari possent. Nunc
 igitur sublata testati causa sequimur saltem defuncti iudicium ve-
 luti ex codicillis ab intestato. Testator enim hac clausula nihil
 aliud declarare intendit, nisi velle se, ut, *si testamentum tanquam*
testamentum non valeat, tamen ut codicillus seruetur. l. 41. §. 3.
D. de vulg. et pup. subst. l. 3. in fine D. de test. militis. At antiquo
 iure fideicommissa, hodierno etiam legata codicillis relinquuntur,
 quamquam non tota hereditas directe dari potest, idcirco vo-
 luisse



luisse testatorem, ut fideicommissa et legata ab intestati successoribus praestarentur, cum alias nulla foret eius voluntas et inexplicabilis, videtur ipsa rei ratio et natura ostendere. Quam ob rem non a testato, sed ab intestato factos esse codicillos, qui conditionem infirmati testamenti respiciunt, et dum testamentum validet, non esse facti intelliguntur, contendimus. Vnusquisque profecto, ut voluntas sua vim iuris post mortem habeat tam quoad heredis institutionem, quam quoad cetera testamenti sui capita, vehementer exoptat: cum autem plerumque non perspici possit, quot et quibus modis queat testamentum invalidum reddi, euenireque, ut heredes ab intestato succedant, codicillos etiam testatores faciunt, ut saltem legatarii et fideicommissarii id, quod iis relictum erat, non amittant. Minus vero recte dixisse videbatur si statueremus clausulam hanc vitia testamenti sanare, supplere, et nescio quid non? efficere posse: sed vnicce ea distinctione, quam inter codicillos a testato et ab intestato posuimus, omnis res expedienda, illiusque ope totius formulae codicillaris vis et facultas definienda est, ne ipsi forte vim attribuamus, quae non inepta, et illam tanquam utile ad omnem testamento infirmo sanitatem restituendam medicamentum vendamus.

§. V.

Quibus vero causis et rationibus haec clausula codicillaris destituto testamento vim suam ostendat, amplius et copiosius exponendum est. Nempe fideicommissa tam vniuersalia quam particularia relinquuntur vel in testamento vel ab intestato §. 10. I. de fideic. hered. Heredes enim legitimos fideicommittens satis honorauit dum non exclusit I. i. §. 6. D. de legatis III. l. 8. §. 1. D. de iure Codic. adeoque adhibitis quinque testibus vel praesente herede legatarioe eadem praestare rogato. Nam vtroque modo constitui posse fideicommissa indubitate iuris est §. 2. I. de codicillis §. 12. I. de fideic heredit. et Dec. El. nouiss. XI. Quamvis vero hereditas neque adimi neque dari verbis directis possit: tamen verbis obliquis sive precariis illa vel eius pars relinquet etiam in

* * *

in codicillis potest *l. 2. C. de iure Codicillorum.* Si igitur in testamento institutus heres hereditatem adit, id, quod rogatus fuerat, restituere tenetur: Sin autem hereditatem adire vel non vult vel non potest, fideicommissum ab eo praestandum non esse liquet. Itaque libenter concedimus, corruente testamento corruere quoque codicillos a testato factos, tanquam partem eius accessoriam, eaque de causa fideicommissum, quod institutus heres restituere in iis rogatus fuerat, intercidere. Verum aliter res habet, si in casum testamenti infirmati defunctus codicillos conditos esse declarauerit. Tunc enim testamento destituto, et re ad causam intestati redeunte, extant illi ipsi codicilli, quibus quis obtemperare et minus solennem defuncti voluntatem implere debeat, docet **PAVLVS l. 16. n. de iure Codicillorum.** Ab intestato, inquiens, factis codicillis relicta etiam postea natus intestati successor debet: quicunque enim ab intestato successerit, locum habent codicilli, nam unus casus est, nec interest, qui succedit, dum intestato succedat. Ad testamentum autem, quod quoque tempore fecisset, pertinent codicilli. Et, (vt manifestius dicam) intestato patrefamilias mortuo nihil desiderant codicilli, sed vicem testamenti exhibent: testamento autem facto ius sequuntur eius. Is totus locus sine via difficultate in nostram utilitatem vertitur. Nam si testamentum corruens codicillorum ab intestato formam induit, quod validis rationibus approbasse videmur, in illis quidem relicta successores legitimi fideicomissa restituere tenentur, et necessitas testamentario heredi imposta, contraria existente conditione, deuoluitur in heredes intestati qui quasi ex contractu, quem cum legatariis et fideicommissariis, adeundo defuncti hereditatem inire creduntur, ad fidem liberandam obstricti sunt.

§. VI.

Quod de fideicommissis diximus, facile est ad legata transferre. Etiamsi enim legatum, quod supra iam nos dicere minimus, iure antiquo est delibatio sive deminutio hereditatis, qua testator ex eo, quod vi institutionis vniuersum heredis foret,



alteri quid collatum vult verbis directis *I. 116. pr. D. de legatis I.*
nouo tamen iure non tantum formularum in legando diuersitas
a Iustiniano sublata, sed legata quoque et fideicommissa fibi iniui-
cem exaequata sunt, ut quibuscumque relictâ verbis et formulâ
eadem necessitate praestari debeant, §. 2. *I. de legatis et I. 1. C.*
comm. de legatis. Quicquid enim deest legatis, repletur ex natu-
ra fideicommissorum, et si quid amplius est in legato per hoc fidei-
commissorum natura crescit, §. 3. *I. de legatis.* Igitur etiam le-
gata testamento destituto ex causa appositae formulae codicilla-
ris, que viu codicilli ab intestato nanciscitur, praestanda sunt ab
heredibus legitimis. Neque quisquam pro parte testatus mori-
videtur, cuius hereditatem destituto testamento heredes legitimí
adeunt, et relictâ legata soluunt. Quin si contraria amplectan-
tur sententiam, consequens foret, ut testari et legare essent unum
idemque, cum tamen summa vtramque dispositionem palam in-
tercedat differentia. Nunquam fertur quis testatus mortuus, nisi
qui testamentum validum reliquit; Quanquam enim codicilos re-
liquit, testatus tamen decepsisse sensu artis non dicitur. Neque
puto quemquam fore, qui aduersam opinionem defendat, nisi
quaedam leges argumentationem a nobis repetitam conuelleret vi-
sae essent viris doctis.

§. VII.

Igitur adducendae sunt leges, quibus vtraque pars suam cau-
sam tueri ntititur. Quia in re ita versabimur, ut et in earum nu-
mero, quas putamus nostram sententiam oppido confirmare, ali-
quas ab aduersariis pro contraria opinione allatas referamus, cum
perinde sit, quo loco istarum sensus aperiatur, dum vera iudice-
tur interpretatio nostra, et videatur decere iuuenem in approban-
da sua opinione maiorem, quam in aduersariis confutandis dili-
gentiam collocare. Suffulcit nostram sententiam *L. 8. §. 1. D. de*
iure Codicill. quae sic sancit: *Fideicomissa dari possunt ab inte-*
stato succendentibus, quoniam creditur paterfamilias sponte sua bis
relinquere legitimam hereditatem. Magis nos confirmat *I. II. C.*
de

de rest. manumiss. Si iure non subsistit testamentum; in hoc nec libertates (cum non fuisse adiectum, ut pro codicillis scriptura valeret, proponas) recte datas constabit. Perspicue etiam l. 29. C. de fideicommissis disponit: Ex testamento, quod iure non valet, ne fideicomissa quidem, si non ab intestato quoque succedentes rogari probentur, peri potest. Quemadmodum igitur si paterfamilias codicillum relinquit rite confectum et v. g. ita scribit vel nuncupat: Titus post mortem meam equum habeto, ratam haberi scripturam, non dubium est, et heredes legitimos fideicommissario praestare equum oportere: ita, cur heredes ab intestato ex testamento, quod destitutus, et quod, si infirmaretur tanquam testamentum, vt valeat iure codicillorum testator disposuit, ad fideicomissa praestanda non obligati esse, debeant? nulla appetet ratio, cum clausula codicillari rogati sint, ut ea restituant. Memini quidem aliam me legere huius legis 29. expositionem doctam atque subtilem. Voluerunt nempe viri eruditi clausulam codicillarem iussu illius legis eo tantum in casu, si heres institutus, testatori superstes hereditatem adire nolit, legata et fideicomissa praestandi necessitatem efficere, non etiam in altero, si scriptus heres ante testatorem decesserit. Sed cum lex non distinguat, nec nostrum esse videtur, sine idoneis rationibus nouas distinctiones proponere. Ego vero nullam diuersitatis causam, quantumuis de ea re cogitauerim, me inuenire libens profiteor.

§. VIII.

Itaque destituto testamento, cui clausula codicillaris inest, heredes intestati fiduciariis non absimiles esse, contendunt, eatus, ut res singulares ex fideicomissio relictas, legatasue praestare debeant. Contra quod aduersarii statuunt, nullam esse restitutionis necessitatem, nisi quis recto iure heres institutus sit, qui hereditatem adeat, §. 2. I. de fideicomiss. heredit. cum ab eo, qui neque legatum neque fideicomissum neque hereditatem vel mortis causa donationem accipit, nihil per fideicomissum relinquiri posse l. 9. C. de fideicommissis. Illi igitur l. 3. §. 2. D. de iure Codicill.

afferunt, vbi IULIANVS expresse respondeat: *Si ex testamento hereditas adita non fuisset, fideicommissum ex huiusmodi codicillis nullius momenti erit.* Concedimus id lubentissime. At loquitur iureconsultus de codicillis a testato factis, qui naturam partis testamenti induunt, adeo, vt si testamentum valeat, ipsi quoque subsistant, si illud corruat, subvertantur. *I. 16. D. de iure codicill.* Vere igitur IULIANVS constituit, si codicillis fideicommissum relictum sit, quibus testator testamento suo aliquid addidit, neque hoc subsistat, et vim suam tueri possit, fideicommissum quoque intercidere. Quid autem iuri, quid voluntati defundi magis consentaneum, quam clausulam codicillarem esse declarationem, qua testamentum infirmatum mutetur in codicillos intestati, qui nihil quidem desiderant, sed vicem testamenti exhibent? tantum abest, vt ius eius sequantur. Non igitur Julianeo decreto, verum Paulli responsione vtemur, qui *I. 16. D. de iure Codicill. ab intestato*, inquit, *factis codicillis relicta etiam postea natus intestati successor debet, quicunque enim ab intestato successerit, locum habent codicilli, nam unus casus est.* Plura in tanta rei claritate differere dubitamus, ne argumentorum multitudine et repetitionibus iteratis fastidium creemus lectoribus.

§. IX.

Vnum filere non possumus, quod maximam queat opinioni nostrae auctoritatem conciliare, nempe hanc C A R P Z O V I O, BERGERO, S T R V V I O, M E N C K E N I oque olim probatam sententiam, ab Heineccio autem et omnibus fere elegantioris iurisprudentiae vindicibus reiecam, hodierno fori vsu seruari atque defendi. Cuius rei illustre habeo testimonium. Cum enim in patria mea vrbe vidua non ignobilis I. C. S. testamentum coram iudicio vrbico condidisset, in quo et legata scripta et clausula codicillaris reperirentur, idque instituto herede, qui coheredem non habebat, fatis defuncto destitueretur, deinde testatrix paulo post mortua, ab heredibus intestatae succendentibus legatarii relicta legata peterent, ventilatam anicipiti iudicio quaestionem,

an



an clausulae codicillaris facultate heredes ad ea soluenda cogendi essent, ordinarii urbis iudices illustri Scabinorum Lipsiensium collegio dirimendam proposuerunt, hi vero mense Octobri anno CIO IO CCL X III. iudicauerunt in hunc modum:

Auf Vorbringen, beschuldigten Ungehorsam und erfolgte Gesäze in Sachen der Anwälde, auch Actorn, Vormunden J. C. W. ic. so dieselben Uns samt den diesfalls ergangenen, und nur ernannter S. Verlaßenschaft betreffenden Acten in 2. Vol. zugeschicket, und Sich des Rechten darüber zu belehnen gebeten haben, Sprechen wir Churfürstl. Sächs. Schöppen zu Leipzig vor Recht: Daß ic. weil dem S. Testamente die gewöhnliche clausula codicillaris angefüget, solchemnach, ob schon der darinnen eingesetzte Erbe dergleichen, weil er vor der Testirerin, wie von allerseits Parthenen für bekannt angenommen, und vorausgesetzt wird, verstorben, keinesweges worden, nichts destoweniger die geordneten Vermachtnisse zu Recht bestehen ic. W. N. W.



1700 1700 1700

HVMA.


HUMANISSIMO ET DOCTISSIMO

CHRISTIANO FREDERICO
KREZCHMAR

S. P. D.

IOH. THEOPHILVS SEGERVS.

Quam ego nunquam in scholis meis proposui, nisi timidiusculle dubitan-
que, cum eam ab omnium fere elegantiorum atque optimorum inter-
pretram auctoritate recedere intelligerem, miratus sum ad aspectum
libelli *TVI*, *HUMANISSIME KREZSCHMAR*, esse TE eandem
sententiam vel a praceptoribus institutum, quos contra sentire existimabam;
nam mihi de hac iurisprudentiae parte tradentur nunquam affueras; vel eius
TIBI argumenta apparuisse tam valida, ut relictis dubibus solus ad eam
amplectendum confirmandumque esses conuersus. Quicquid eius rei sit, sò-
cietatis in defendendo conditionem, si nihil in libello mutare vellem, et to-
tam tractationem, vti esset ad me perlata, ita sinere publicari, in quam alias,
fateor, libenter conuenire non soleo, tantum abest, ut aegre aut cum ali-
qua difficultate acceperim, ut potius variis de causis libertissime consenti-
rem. Nam et animo meo sic poteram satis facere, qui de hoc argumendo
scribere abnuebat, et in *TV A* doctrina facile collocare omnem defen-
sionis fortunam. Sane diligentiam, qua maxime eruditio comparatur, in
meis etiam scholis arti nostrae eximiām praeſtitit; ingenii autem vires
TVI que iudicij rectitudinem ipsum, quod in publicum edis, specimen leto-
ribus *TVIS* ostendet. Qua de cauſa non animus fuit commemoratione
laudum *TVARVM* in his codicillis defungi, sed eas, quas ipſe *TIBI*
peperisti, et partim e colloquio publico reportabis, congratulari. Quod
ita facio, *VIR OPTIME*, ut larga *TIBI* industriae litterarumque
praemia et potentium virorum tutelam, quorum possit patrocinio felicitas
TV A promoueri, a Deo immortali precer. Vale, et me *TVI* amantissi-
mum benivolentiae *TV AE* commendatum babe. Dedi v. Cal. Maias an.
CIOLOCCLXVII



OO A 6448

ULB Halle
002 928 140

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

VIS ET FACVLTAS
CLAVSVLAE CODICILLARIS
TESTAMENTO DESTITVTO

S C R I P S I T

E T

ILL. I. CTORVM ORDINIS INDVLTV

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
COD. ANTECESSOR. ORDINAR. SVBSTIT
COLLEGIO I. CTORVM ADSCRIPTO

I P S. C A L. M A I I S A N. C I C I O C C L X V I I

D E F E N D E T

CHRIST. FRIDERICVS KREZSCHMAR

D R E S D E N S I S

L I P S I A E

LITTERIS VIDVÆ LANGENHEMIAE

